



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 15. De Scandalo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

Hanc porro obligationem simpliciter superflua erogandi in pauperes, etiam in communi tantum necessitate gravem esse, satis colligitur ex ratione D. Thomae, ex Patribus, Ambrosio verbis citatis, Basilio homil. in avaros discitentes, ubi eodem planè modo loquitur, quo Ambrosius; Gregorio Nazianz. orat. de amore pauperum, &c. imò & ex verbis Christi Matth. cap. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum... Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Ex quibus liquet, innumeros divites damnatum iri, quod proximorum necessitatibus non subveniant. Unde mortaliter peccat, qui nunquam facit, vel proponit nunquam facere eleemosynam ex simpliciter superfluis; qui ex simpliciter superfluis thesaurizat; qui simpliciter superflua in ludos, epulas, sumptuosa ædificia, aliosve vanos usus expendit, vel omnia, vel saltem ex parte notabili.

Dices. Divites sunt domini simpliciter superfluarum. Ergo saltem extra casus extremæ vel gravis necessitatis possunt illas sibi retinere, & ex illis thesaurizare. *Resp.* neg. conseq. Divites itaque sunt quidem domini simpliciter superfluarum, sed cum gravi obligatione ea, hoc ipso quod sic superflua sunt, in pauperes erogandi. Ex eo igitur quod divites simpliciter superfluarum sint domini, sequitur tantum quod ad eorum in pauperes erogationem non teneantur ex iustitia commutativa, & ita si non cogent, non teneantur ad restitutionem.

Dices. Talis est obligatio subveniendi proximo, qualis est necessitas proximi. Ergo ubi non est nisi levis necessitas, ibi non potest esse nisi levis obligatio. Atqui in casu necessitatis communis nunquam occurrit nisi levis necessitas particularis. Ergo nunquam occurrit nisi levis obligatio subveniendi proximo. Ergo nunquam nisi venialiter peccari potest, non subveniendi proximo in casu necessitatis communis. Ergo saltem qui retinet simpliciter superflua, non peccat nisi venialiter. *Resp.* neg. hanc ultimam conseq. Ratio negandi est, quia obligatio dandi simpliciter superflua pauperibus, non est præcisè obligatio subveniendi necessitati huius vel illius proximi in particulari, sed est obligatio subveniendi necessitati communi, seu aggregato ex omnibus necessitatibus particularibus, quod profectò aggregatum est sufficientissima materia gravis obligationis.

Dices. Hac doctrina damnatur maxima divitum pars: non enim discunt, nisi simpliciter superflua retinendo, & ex eis thesaurizando. *Resp.* Hanc doctrinam solum ostendere, quomodo se ipsi damnet divites illi, quibus cum Jacobo Apostolo dicimus: *Aque tunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ adveniant vobis. Divitia vestra putrefactæ sunt... aurum & argentum vestrum eruginavit, & erugo eorum in testimonium vobis erit (vestræ in pauperes inhumanitatis), & manducabit carnes vestras. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.*

PROPOSITIO VII.

Præcepto eleemosynæ non satisfacit per mutuum, aut alium contractum onerosum, quo indigens obligetur ad aliquid sive absolute, sive conditionate tantum, puta si postea discat, si postea domum vel agrum possideat, &c.

Prob. Nam præceptum eleemosynæ, cum urget, obligat ad subveniendum miseriae proximi, non qualicumque modo, sed liberaliter & absolute donando: nam eleemosyna, in sensu Scripturarum & Patrum, est res absolute & gratuito donata proximo ad subveniendum ejus necessitati; adeoque præceptum eleemosynæ est præceptum absolute & gratuito donandi proximo rem aliquam, qua sublevetur ejus miseria. Ergo cum urget præceptum eleemosynæ, non ei satisfacit qui proximi necessitatem sublevar per mutuum, aut quemlibet alium contractum onerosum, sed peccat mortaliter, si proximus est in extrema vel gravi necessitate.

Dixi autem, cum urget præceptum eleemosynæ.

Nam 1. si proximus non sit in necessitate simpliciter sed secundum quid tantum, puta quis adest à patria, in qua habet bona, quia est operarius, & non locatur ejus opera, quia est arifex viribus valens ad exercendam artem suam, sed caret instrumentis, nisi tamen tota sua industria ad sibi vel familiæ suæ subveniendum indigeat, quo casu erit simpliciter indigens; si proximus, inquam, non sit in necessitate nisi secundum quid, tunc proprie non urget præceptum eleemosynæ, & charitati satisfacit, si proximo subveniatur per mutuum, locationem, aliumve contractum onerosum.

2. Si proximus est tantum in necessitate communi, & non habeo simpliciter superflua, non obligat me præceptum eleemosynæ, quia non possum subvenire proximo nisi de necessariis ad statum, & ita non possum ex charitate teneri ad ei subveniendum, nisi per mutuum, aut alium aliquem contractum onerosum. Idem dic, si proximus non est in extrema necessitate, nec possum ei subvenire nisi ex simpliciter ad statum necessariis, seu sine notabili meo damno. Et si habeo simpliciter superflua, teneor præcepto eleemosynæ, etiam extra casum extremæ vel gravis necessitatis, ex illis subvenire simpliciter indigentibus, per largitionem omnino gratuitam & absolutam.

Quæres. Utrum is, qui se fingit pauperem, & aliqua titulo eleemosynæ accipit, teneatur ad restitutionem?

Resp. Talis accepta titulo eleemosynæ tenetur restituere donatori, vel pauperibus. Ratio est, quia vera paupertas, ut talis probabiliter cognita vel præsumpta, est motivum substantiale dandi eleemosynam, quo proinde deficiente, subsistere non potest donatio. Prætereà, in omni donatione titulo eleemosynæ facta, tacite subintelligitur hæc conditio sine qua non. Si verus es pauper.

ARTICULUS XV.

De Scandalo.

1. Scandalum duplex distinguitur, activum scilicet, & passivum. Scandalum activum, quod simpliciter dicitur scandalum, definitur à S. Thoma 2. 2. quest. 43. art. 1. in O. *Dictum vel factum minus rectum, præbens occasionem ruinae* (spiritualis scilicet, quæ in peccato consistit.) Hanc definitionem probat S. Doctor his verbis: *In processu via spiritualis contingit aliquem disponi ad ruinam spiritualem per dictum vel factum alterius: in quantum scilicet sua admonitione, vel inductione aut exemplo, alterum trahit ad peccandum: & hoc proprie dicitur scandalum. Nihil autem secundum propriam rationem disponit ad spiritualem ruinam, nisi quod habet aliquem defectum rectitudinis: quia id quod est perfecte rectum, magis munit hominem contra casum, quam ad ruinam inducat. Hinc*

Breviter sic argumentor. Scandalum dicitur, omne dictum vel factum, quo quis alterum disponit ad peccatum, in quo spiritualis casus seu ruina hominis consistit. Atqui per se loquendo nemo potest alterum disponere ad peccatum, per dictum suum vel factum, nisi dictum illud vel factum habeat aliquem defectum rectitudinis: quod enim est perfecte rectum, magis retrahit à peccato, quam ad illud disponit. Ergo, &c. Ad scandalum igitur activum duo requiruntur, nempe 1. dictum vel factum minus rectum, quod eo ipso quod est minus rectum, potest ad peccatum disponere. 2. Ut hoc dictum vel factum re ipsa inducat, vel saltem morale periculum sit, ne inducat ad peccatum.

Porro hic minus rectum dicitur, ut ait S. Doctor ad 2. *non quod ab aliquo alio superatur in rectitudine: sed quod habet aliquem rectitudinis defectum; vel quia est secundum se malum, sicut peccatum; vel quia habet speciem mali, sicut cum aliquis recum.*

recumbit in idolo: quamvis enim hoc secundum se non sit peccatum, si aliquis hoc non corrupta intentione faciat: tamen quia habet quandam speciem mali, vel similitudinem venerationis idoli, potest alteri praebere occasionem ruinae; & si re ipsa praebet, vel morale periculum est, ne praebet, scandalum est, & peccatum contra charitatem grave vel leve, prout est alteri occasio gravis vel levis ruinae. Unde, ut subjicit S. Doctor, Apostolus 1. Thes. cap. 5. sic fideles admonet: *Ab omni specie mala abstinete vos.*

2. Scandalum passivum est ipsa spiritualis ruina proximi, hoc est, peccatum ad quod proximus inducitur per alterius dictum vel factum minus rectum. Ex quo patet, scandalum passivum semper quidem esse peccatum: non enim scandalizatur proximus, nisi ruendo spirituali ruina, & non ruit spirituali ruina, nisi peccando, ut ait S. Thomas hic art. 2. in O. At nunquam quia tale, hoc est, quia scandalum passivum, est peccatum speciale. Hoc dicit S. Thomas hic a. 3. in O. ubi ait: *Passivum scandalum non potest esse speciale peccatum, quia ex dicto vel facto alterius aliquem ruere contingit secundum quodcumque genus peccati: nec hoc ipsum quod est occasio peccandi sumere ex dicto vel facto alterius, specialem rationem peccati constituit: quia non importat specialem deformitatem speciali virtuti oppositam.*

3. Ut observat S. Thomas hic art. 1. ad 4. quandoque simul est scandalum activum in uno, & passivum in altero, puta quando unus inducit ad peccandum, & alter peccat. Quandoque est scandalum activum sine passivo, puta quando aliquis ad peccandum inducit dicto vel facto, & alter non consentit. Quandoque demum est scandalum passivum sine activo, quando nempe ex eo quod unus recte dicit vel facit, & praeter ejus intentionem alter sumit occasionem peccandi: tunc enim unius dictum vel factum non est per se, sed solum per accidens occasio ruinae alterius, adeoque vel nullatenus, vel non nisi improprie dici potest scandalum activum. Ex his

4. Scandalum adhuc dividitur in datum & acceptum. Scandalum dicitur datum, cum dictum vel factum unius est per se occasio ruinae alterius: dicitur vero acceptum, cum dictum vel factum unius est tantum per accidens ruinae alterius occasio. Dictum autem vel factum unius est per se occasio ruinae alterius, quando, ut ait S. Thomas loco proxime citato, aliquis suo malo verbo vel facto intendit alium ad peccandum inducere, vel etiam si ipse hoc non intendat, & ipsum factum est tale, quod de sui ratione habet, quod sit inductivum ad peccandum, puta cum aliquis publice facit peccatum, vel quod habet similitudinem peccati: & tunc ille qui hujusmodi actum facit, proprie dat occasionem ruinae, atque ita tunc est scandalum datum.

Dictum vero vel factum unius est tantum per accidens ruinae alterius occasio, quando, ut ibidem pergit S. Thomas, & praeter intentionem operantis, & praeter conditionem operis (quod nimirum neque malum est, neque similitudinem habet mali,) aliquis male dispositus, ex hujusmodi opere inducitur ad peccandum, puta cum aliquis invidet bonis aliorum. Et tunc ille qui facit hujusmodi actum rectum, non dat occasionem, quantum in se est, sed alius sumit occasionem, atque ita tunc est scandalum, non datum, sed acceptum.

5. Scandalum acceptum subdividitur in scandalum pusillorum, & scandalum pharisaicum. Scandalum pharisaicum dicitur, quod procedit ex malitia, hoc est, cum quis ex odio, vel invidia, vel alia quavis prava intentione sumit occasionem peccandi ex alterius dicto vel opere recto praeter ejus intentionem. Pharisaicum autem duncupatur, quia hoc pacto de doctrina & miraculis Christi scandalizabantur pharisaei, Scandalum pusillorum dicitur, quod procedit ex infirmitate vel ignorantia. hoc est, cum quis ex alterius dicto vel opere recto praeter ejus intentionem peccandi occasionem sumit ex infirmitate vel ignorantia, Quia autem saepe tenemur impedire, ne pro-

ximus sic scandalizetur ex dicto vel facto nostro quantumlibet recto, saepe contingere potest, quod scandalum pusillorum malitiam habeat scandalum dari. Hinc saepe contingere potest, quod in scandalum pusillorum scandalum passivum non sit sine activo; cum & contra in scandalum pharisaico nunquam sit scandalum activum cum passivo; adeoque solus peccet ille, qui sic scandalizatur. His omnibus praesuppositis, pro scandalum activo sit

PROPOSITIO.

Scandalum est peccatum speciale & mortale ex genere suo.

Prob. Et 1. quidem quod scandalum sit peccatum, aperte docet Scriptura pluribus locis. Sic dicitur Matth. cap. 18. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Vae mundo a scandalis. Et Rom. c. 14. Malum est homini, qui per offendiculum manducat (carnes, quamvis per se non sit illicitum manducare:) Bonum est (& quidem sic, ut contrarium malum sit & inhonestum) non manducare carnem, & non bibere vinum, (neque aliud quid simile, quantumvis de se licitum facere) in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. Ratio autem est, quia causare malum spirituale proximi, peccatum est. Sed qui scandalizat proximum, causat malum spirituale illius. Ergo, &c.

2. Scandalum est peccatum speciale: nam, ut dicit S. Thomas hic art. 3. in Sed contra, speciali virtuti speciale peccatum opponitur. Sed scandalum opponitur speciali virtuti, scilicet charitati: dicitur enim Rom. 14. Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas. Ergo, &c. Et vero inferre proximo spirituale damnum, charitati contrarium est. Atqui scandalum infert proximo spirituale damnum. Ergo, &c. At inquit. Proximus spirituale damnum illud voluntarie patitur. Resp. Hoc tantum impedire lesionem iustitiae, quo non obstante, verè laeditur charitas.

3. Scandalum est peccatum mortale ex suo genere, ut patet ex verbis Christi Matth. cap. 18. & Apostoli Rom. c. 14. & hac ratione suaderetur. Omne peccatum, quod specialiter adversatur charitati, ex genere suo mortale est. Atqui scandalum specialiter adversatur charitati. Ergo ex genere suo mortale est. Dico, ex genere suo: nam propter levitatem materiae, potest esse veniale tantum.

Itaque proximus, qui scandalizatur, vel inducitur ad peccatum mortale, vel ad veniale tantum. Si primum, cum peccatum mortale proximi sit gravis ruina, est gravis materia scandali, adeoque scandalum grave est, & peccatum mortale, nisi tamen excusetur aliunde. Si secundum, cum peccatum veniale proximi sit tantum levis ruina, vel, ut loquitur S. Thomas hic art. 4. in O. sit quasi impactio tantum, non ruina, est tantum levis materia scandali, ac proinde tunc scandalum, quia tale, leve est, & peccatum veniale tantum. Dico, quia tale: nam dictum vel factum, quo proximus inducitur ad peccandum venialiter, & quod idcirco veniale tantum est in ratione scandali, potest ex alio capite uno vel multiplici esse peccatum mortale: nam erit peccatum mortale, si proximus ad peccandum inducatur ex gravi odio, cum gravi injuria, &c.

Dixi supra, nisi tamen excusetur aliunde: nam scandalum de se grave, quia est causa gravis ruinae proximi, potest esse veniale ex inadvertentia, si nimirum aliquis proximo occasionem gravis ruinae praebet, ad hoc non advertendo, & ejus inadvertentia sit tantum leviter culpabilis. Ad quod requiritur, ut haec inadvertentia procedat vel ex levi tantum negligentia, vel ex ignorantia penè invincibili.

Quaes. 1. Quinam dicto vel facto, suo incurrant specialem malitiam scandalii?

Resp. 1. Qui directe inducit proximum ad peccandum,

dum, ex formali intentione ut peccet proximus, incurrit specialem malitiam scandalum: tunc enim vel verum est scandalum, vel nunquam est. Imò tunc est maximum scandalum quod esse potest; & scandalum diabolicum: diabolus enim directè inducit homines ad peccandum, ut spiritualiter ruant, & ruendo moriantur spiritualiter.

Resp. 2. Qui directè ad peccandum inducit proximum, non ut ruat proximus, sed propter aliquam suam utilitatem vel delectationem, incurrit specialem malitiam scandalum: nam dicto vel facto illius convenit tota definitio scandalum. Præterea, si non incurrit malitiam propriam scandalum, certè quia non intendit illam, sed suam utilitatem vel delectationem. Atqui hoc dici non potest: ad hoc enim ut malitia aliqua contrahatur, sufficit ut liberè fiat id quocum conjuncta est, & cognoscitur, vel saltem cognosci debet esse conjuncta. Qui autem dicto aut facto suo directè proximum ad peccandum inducit, licet non inducat nisi propter aliquam suam utilitatem vel oblectationem, dicit aut facit aliquid, quocum conjuncta est specialis malitia scandalum, & hoc cognoscit, vel saltem debet cognoscere: cognoscit enim, vel saltem debet cognoscere, quod proximum ad spirituales ruinam impellere, charitati specialiter adversetur; sive propter se, sive propter aliud tantum intendatur spiritualis ruina proximi. Ergo, &c.

Resp. 3. Qui temerè coram alio dicit vel facit aliquid malum, aut speciem habens mali, quo alius ad peccandum inducitur, incurrit specialem malitiam scandalum: nam ejus dicto vel facto convenit tota definitio scandalum: est enim dictum vel factum minus rectum, proximo dans occasionem ruinæ spiritualis. Præterea, ut contrahatur specialis malitia scandalum, sicut & cujuscumque alterius vitii, sufficit ut sit indirectè volita. Sed qui coram alio dicit, &c. vult indirectè malitiam specialem scandalum: nam indirectè vult ruinam spirituales proximi; cum velit id quocum conjuncta est, & conjunctam esse cognoscit, aut saltem cognoscere debet. Ergo, &c. Ex his

Collige 1. Eum peccare peccato scandalum, qui petit ab alio, vel consulit illi opus, quod nullo pacto exequi potest, nisi peccando. Ratio est, quia talis in estimatione morali proximum directè inducit ad peccatum: directè enim inducit eum ad actionem, quæ sine malitia esse non potest.

Dixi autem, quod nullo pacto, &c. Nam si opus aliqua ratione præstari potest inculpate, quandoque peti potest sine scandalo, quandoque non potest. Nam si is, à quo petis opus illud, paratus est ad peccandum, & habes rationabilem causam petendi, petendo non contrahis malitiam scandalum, etiam si moraliter certus sis opus non nisi peccaminosè præstandum esse, quia tunc uteris jure tuo, neque tunc censuris causare, sed solum justa de causa permittere ruinam proximi. Hinc gravem necessitatem patienti, qui aliter subvenire sibi non potest, licet petere mutuum ab usurario, qui petiturus est usuras. Hinc gravi de causa, v. gr. cum de firmandis induciis agitur, licet petere juramentum à Mahumetano, qui super Alcorano juraturus est.

Dixi. Si habes rationabilem causam petendi: nam sine rationabili causa petere opus, quod sine peccato non præstabitur, quamvis posset, scandalum est etiam relatè ad eum, qui ad peccandum paratissimus est: petendo enim sine rationabili causa, censuris non potè permittere, sed indirectè velle & causare proximi ruinam; cui nimirum, cum non habes eam permittendi causam rationabilem, occasionem subtrahere teneris ex præcepto charitatis & misericordiæ. Hinc qui invitat meretricem ad fornicandum, non solum fornicationis, sed etiam gravis scandalum malitiam propriam contrahit, quantumvis mulier illa parata sit ad peccandum.

Jam verò si is à quo opus petitur, non est paratus ad peccandum, vel habes speciale jus justitiæ ad opus illud, vel non habes. Si primum, nec sine aliquo tuo notabili detrimento carere potes illo opere,

petendo non peccas contra charitatem, nec incurris malitiam scandalum, quamvis moraliter certus sis opus non esse præstandum sine peccato. Ratio est, quia tunc ex charitate teneri non potes privare te jure tuo, & is à quo rationabili de causa petis opus tibi debetur, sibi soli imputare debet, quod opus illud non præstet sine peccato. Hinc fidelis v. gr. quia speciale jus habet petendi sacramenta à parochio, si non potest ea ab alio accipere, nec illis carere sine aliquo suo notabili damno, saltem spirituali, potest licitè ea à parochio petere, quantumvis parochum illa non sine peccato administraturum esse, certus sit moraliter.

Collige 2. Malitiam propriam scandalum eum contrahere, qui coram alio dicit vel facit aliquid malum, aut speciem habens mali, nisi hic & nunc ex circumstantiis ipsi moraliter constet, alium inde sumpturum non esse occasionem peccandi. Nam si habet hanc moralem certitudinem, in nullo sensu dici potest velle ruinam proximi, seu proximum ad peccandum inducere. Si verò non habet, dicendo vel faciendo aliquid, quod ratione sui inductivum est ad peccatum, censetur interpretativè velle ruinam proximi, & ita proximum indirectè ad peccandum inducere. Præterea, ibi scandalum est, ubi morale periculum est, ne proximus ex dicto vel facto minus recto sumat occasionem peccandi. Atqui hic morale periculum est, ne proximus, &c.

Collige 3. Eum specialem scandalum malitiam incurere, qui facit aliquid de se etiam omnino indifferens, sive ex formali intentione, sive sine formali intentione, sed cum morali periculo proximum inducendi ad malum. Nam illud quod facit, quantumvis de se indifferens, hic & nunc malum est propter circumstantiam intentionis, vel morales periculi ruinæ proximi. Atqui malum esse non potest propter circumstantiam, &c. nisi malitia propria scandalum. Præterea, ille contrahit malitiam propriam scandalum, qui directè, vel saltem indirectè proximum impellit ad ruinam. Atqui facit aliquid de se indifferens, unde proximus occasionem sumere potest ruendi, proximum ad ruinam impellit: directè quidem, si ex intentione; indirectè verò, si cum morali periculo proximum inducendi ad malum facit. Ergo, &c. Hinc aliquid de se indifferens, nec de se inductivum ad peccandum, potest esse peccatum etiam grave in ratione scandalum; potest, inquam, esse, non quidem per se & ratione sui, sed per accidens, nempe vel propter pravam intentionem facientis, vel propter videntis pravam dispositionem.

Quæres 2. Utrum opera bona sint aliquando omitenda, ne proximus ex illis scandalizetur?

Resp. 1. Opera bona ad salutem necessaria, quia graviter præcepta sunt, durante præcepti obligatione, nunquam omitenda sunt, propter scandalum vitandum. Hoc dicit S. Thomas hic art. 7. in O. Est autem in spiritualibus bonis distinguendum. Nam quædam horum sunt de necessitate salutis, quæ prætermitti non possunt sine peccato mortali. Manifestum est autem, quod nullus debet mortaliter peccare, ut alterius peccatum impediat: quia secundum ordinem charitatis plus debet homo suam salutem spirituales diligere, quam alterius. Et ideo ea quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent propter scandalum vitandum.

Dixi autem, durante obligatione præcepti: cum enim præcepta affirmativa non obligent pro semper, contingere potest, ut præceptum aliquod affirmativum non obliget ad opus aliquod in morali periculo ruinæ proximi, ad quod seculo tali periculo obligaret. Hoc dicit S. Thomas art. citato ad 1. ubi post S. Augustinum ait, peccatorum punitionem, quæ est actus justitiæ, interdum omitendam esse propter vitandum scandalum; quia nimirum interdum propter scandalum periculum, ad illam non obligat justitiæ.

Hac autem in re ut prudenter judicetur, utrum præceptum affirmativum obliget hic & nunc, an non, in morali periculo ruinæ proximi, maturè consideranda est præcepti natura, gravitas, necessitas, vel utili-

utilitas, & ex his æstimandum, utrum ex duobus, ruina scilicet proximi vitanda, & opere faciendo, alteri præponderet.

Resp. 2. Bona opera ad salutem non necessaria, quia non sunt in præcepto, sed in consilio tantum, unde vocantur opera supererogationis, non sunt omittenda propter scandalum Phariseorum vitandum; ac propter vitandum scandalum pusillorum nonnunquam omittenda sunt. Sic respondet S. Thomas art. citato in O. ubi sic prosequitur: *In his autem spiritualibus bonis, quæ non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum. Quia scandalum quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit: cum scilicet aliqui volunt impedire huiusmodi spiritualia bona, scandala concitando. Et hoc est scandalum Phariseorum, quod esse contemnendum Dominus docet, Matth. 15. Quandoque verò scandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia. Et huiusmodi est scandalum pusillorum, propter quod sunt spiritualia bona vel occultanda, vel etiam interdum differenda: ubi periculum non imminet, quousque reddita ratione, huiusmodi scandalum cesset.*

Quare autem opera supererogationis interdum omittenda sunt propter scandalum pusillorum vitandum, facile ostenditur. Nam proximi ex infirmitate vel ignorantia lapsuri ruinam impedire teneor præcepto charitatis & misericordiæ, cum facile possum. Atqui facile possum, cum agitur tantum de omittendo opere supererogationis. 1. Enim tale opus ad salutem necessarium non est. 2. Si omitto illud, ne proximus propter infirmitatem vel ignorantiam suam ex eo scandalizetur, tunc actum charitatis exerceo, magis meritorium, quam foret ipsum opus, quod omitto. Ex dictis hætenus.

Collige 1. Mulierem interdum teneri posse ad omittendum sacrum etiam die festo, non quidem propter periculum scandali vagi & indeterminati, hoc est, propter periculum, ne alicui indeterminatè sit occasio peccandi mortaliter, sed ad vitandam ruinam alicuius in particulari, quem ex ejus præsentia occasionem peccandi sumpturum esse ex infirmitate, moraliter certa est: tunc enim non urget præceptum Ecclesiæ, quia præceptum charitatis & misericordiæ prævalet. Ad vitandum igitur huiusmodi scandalum, mulier etiam die festo à sacro abesse tenebitur semel aut iterum, non tamen longo tempore: non enim longo tempore abesset sine scandalo publico, quod præponderat privato, imò nec sine aliquo suo notabili damno spirituali, quod subire non tenetur ad impediendam ruinam alterius, qui licet ex infirmitate, voluntariè tamen casurus est.

Collige 2. Mulierem graviter teneri ad abstinendum ab ornatu, non quidem ordinario, & decenti juxta conditionem suam, sed extraordinario, & aliquo modo de se ad peccandum provocativo; argue à fortiori à notabili nuditate corporis: hæc enim esse non possunt sine morali periculo gravis ruinæ multorum. Non potest autem non incurrere malitiam specialem scandali, qui facit aliquid inordinatum, cum tali periculo conjunctum. Fæminas itaque huius scandali reas qui absolvent, peccant mortaliter, nisi illæ prius se correxerint, vel saltem serid promiserint in posterum ab ejusmodi cultu & nuditate abstinere. Porro quod hic de mulieribus indecenti cultu utentibus dicitur, dici quoque debet de iis, qui picturas vel statuas scandalosè nudas publice exponunt.

Quæres 3. Utrum propter scandalum vitandum temporalia bona sint dimittenda?

Resp. 1. Cum S. Thoma hic art. 8. in O. *Circa temporalia bona distinguendum est. Aut enim sunt nostra, aut sunt nobis ad conservandum pro aliis commissa: sicut bona Ecclesiæ committuntur prelati, & bona communia quibuscumque reipublice rectoribus. Et talis conservatio, sicut & depositum, imminet his, quibus sunt commissa, ex necessitate. Et ideo non sunt propter scandalum dimittenda: sicut nec alia, quæ sunt de necessitate salutis.*

Ratio igitur, cur bona huiusmodi non sint dimittenda propter vitandum scandalum, est quia eorum conservatio est de necessitate salutis; cum iis quibus sunt commissa, illa conservare graviter teneantur ex iustitia, cujus observatio hominibus maxime necessaria est, etiam in concursu vitandi scandali. Atqui quæ sunt de necessitate salutis, non sunt dimittenda propter vitandum aliorum scandalum: ut enim ait S. Doctor art. 7. in O. *Secundum ordinem charitatis plus debet homo suam salutem spiritualem diligere, quam alterius.* Ergo, &c.

Confirmatur & declaratur amplius, secundum mentem S. Doctoris. Nullus debet transgredi præceptum graviter obligans, ut vitet scandalum aliorum: nam, ut ait S. Doctor loco proximè citato, manifestum est, quod nullus debet mortaliter peccare, ut alterius peccatum impediatur. Atqui homo non potest bona sibi commissa dimittere, nisi transgrediendo iustitiæ præceptum, quo propter ejus necessitatem graviter tenetur bona illa conservare, etiam cum agitur de vitando scandalo pusillorum. Ergo nullus debet bona sibi commissa dimittere, ut vitet aliorum scandalum; sed ut officio suo fungatur, potest & debet scandalum illud permittere.

Resp. 2. Cum eodem ibidem: *Temporalia verò bona, quorum nos sumus domini, dimittere, ea tribuendo, si penes nos ea habeamus; vel non repetendo, si apud alios sint, propter scandalum, quandoque quidem debemus, quandoque autem non. Si enim scandalum ex hoc oritur propter ignorantiam vel infirmitatem aliorum, quod diximus esse scandalum pusillorum, tunc vel totaliter dimittenda sunt temporalia, vel aliter scandalum est sedandum.... Aliquando verò scandalum nascitur ex malitia, quod est scandalum Phariseorum; & propter eos, qui sic scandala concitant, non sunt temporalia dimittenda: quia hoc & noceret bono communi: daretur enim malis rapiendi occasio, & noceret ipsis rapientibus, qui retinenda aliena, in peccato remanent.*

Quæres 3. Quando nam vendendo, locando, commodando, donando, incurritur vel non incurritur specialis malitia scandali?

Resp. 1. Res planè indifferentes de se, quarum usus non est aliqua lege prohibitus, & quibus homines bene utuntur communiter, si vendantur alicui, qui malè illis usus est, sed omnino ignoratur esse malè usurus, non incurritur malitia scandali. Nam in dubio negativo unusquisque præsumitur bonus, in iis, præsertim, in quibus homines communiter boni sunt. Unde venditor in casu proposito ementem potest & debet præsumere bonum, adeoque re empta bene usurum. Sed qui rem de se planè indifferentem vendit alicui, quem potest & debet præsumere bonum, & ea re non malè usurum, in nullo sensu censeri potest velle ruinam & peccatum illius, etiam si postea malè utatur ea re. Ergo, &c.

Resp. 2. Qui rem de se planè indifferentem vendit, locat, commodat, &c. alicui quem novit ea re malè usurum esse, incurrit malitiam scandali. Nam in hoc casu venditor, locator, &c. meritò censetur saltem interpretativè velle ruinam ementis. Quod si venditor novit emptorem re empta malè usurum in damnum alterius, non solum scandali, sed etiam iniustitiæ malitiam contrahit, quia saltem indirectè vult injuriam, quam emptor re empta illaturus est. Idem dic, si venditor non novit, sed solum positivè dubitat.

Resp. 3. Si res tales sunt vel ex natura sua, vel ex hominum institutione, vel propter legem aliquam prohibentem, ut moraliter timeatur pravus earum usus, non possunt sine scandalo vendi, locari, commodari, &c. nisi iis, de quibus moraliter certum est, quod non sint illis malè usuri. Nam qui res ejusmodi vendit, locat, &c. alicui, sine morali certitudine, quod non sit malè usurus, in morali æstimatione censetur illi præbere occasionem ruinæ.